



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Apis Argvmentosa P. Georgij Schrötelij**

**Schrötcl, Georg**

**Coloniæ Agrippinæ, 1633**

Tvrris Davidica. Tvrris Ebvrneä.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46515)

TURRIS DAVIDICA. 85  
TURRIS DAVIDICA.  
TURRIS EBURNEA.

**S**icut turris David collum tuum, quæ edificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea. omnis armatura fortium.  
a Collum tuum sicut turris Eburnea. b

Dauid expulso Iebusæo, Hierosolymæ extruxit celsam, & fortem turrim, vt hostis aduentans facile videri, & impetus eius fortiter sustineri posset, quia ergo hæc turris alijs celsior erat, iudicat Salomon Sponsam inter cæteras eminere.

Pie & prudenter olim Victores spolia, & arma hostibus erepta, Deo consecrabant, & in Templis, ac turribus suspendebant, anathemata vocantes. Ita Iosue vastata Hiericho, c aurum, argentum, vasa ænea &c. in ærarium Domini intulit. Ita Dauid, d arma & gladi-

a Cant. 4. b Cant. 7.

c Ios. c. 6.

d 1. Reg. 17.



gladium Goliath, in tabernaculo Domini suspendit. Ita Iudith *a* conopæum Holofernus, & alia obtulit in anathema. Quæ consuetudo adhuc hodie viget, ut videre est passim etiam in antiquissimis templis; & hoc maxime tempore, quo hæc scribo, post tot victorias gloriosissimi Cæsaris Ferdinandi II. in varijs locis videre est templa plena eiusmodi trophæis. Hinc verisimile est Turrim David intus armis fuisse instructissimam, foris autem plenam suspensis eiusmodi spolijs, hostibus ereptis hinc etiam mille, id est, innumeri clypei pendebant ex ea, omnis armatura fortium videlicet victorum, & prostratorum.

Cur autem Beatissima Virgo Turris Davidica, & eburnea dicatur, pulchrè explicant Doctores. *b* Gregorius Nyssensis, Honorius, Theodoretus, & post hos Hailgrimus Cardinalis, Rupertus

*a* Iudith. 16.

*b* Serm. 7. in Cant.



pertus & alij plures in plerisque con-  
 ueniunt, & B. Virginem per turrin Da-  
 uidicam præfigurata[m] dicunt, quæ non  
 tantum ab hostibus inexpugnabilis  
 fuerit, atque ita nullam læsionem in a-  
 nima acceperit, aut peccati maculam,  
 sed omni armorum genere instructa,  
 Virtutibus inquam, excellentijs & præ-  
 rogatiuis, quibus illa cunctas hæreses  
 sola interemit, vt canit Ecclesia, quæ  
 arma adhuc hodie Ecclesiæ, & omni-  
 bus fidelibus heroicè contra spiritua-  
 les hostes pugnantibus suppeditare so-  
 let. Theodoretus, in Cantica (& ex hoc  
 Cardinalis Hailgrimus) ita scribit: *Hanc  
 Turrin B. Virginem - Christus in Ecclesia e-  
 rexit, vt esset peccatoribus refugium, & mu-  
 nimen: Propugnacula eius sunt Virtutes, &  
 gratia, dignitates, & prerogatiue. Clypei,  
 exempla virtutum, per quas resistitur contra  
 tentationum insultus, vt prudentia, fortitudo,  
 temperantia, &c.*

S. Bernhardus. Tu, ô Virgo, inquit, &

E 2

Turrin

a Serm. 4. super Salue Regina.



*Turris es edificata cum propugnaculis suis,  
Hostes tui non parum formidabant, ne forte  
tu esses, quæ eras, per quam expugnandi erant,  
& damnandi, propter quod & terribilis eis  
fuiſti, vt caſtrorum acies ordinata. a Nihil ve-  
ro omnino proficit inimicus in te, eo quod  
mille clypei pendent ex te, omnis armatura  
fortium. Nihil eſt enim Virtutis, quod ex te  
non reſplendeat, & quicquid ſinguli habuere  
Sancti, tu ſola poſſediſti. Tu ſupergreſſa es vni-  
uerſas. b*

*D. Thomas Aquinas. c. Mille clypei, id  
eſt, remedia contra pericula, pendent ex ea. I-  
tem in omni opere Virtutis poteſ eam habere  
in adiutorium; Et ideo dicit ipſa: d In me om-  
nis ſpes vitæ, & Virtutis.*

*In turri commendatur alitudo, pul-  
chritudo, & fortitudo. Ideo etiam Ru-  
pertus ait: Fuit B. Virgo turris in aſpectu a-  
mabilis, ſtatura fortis, ac diabolo terribilis,  
& inacceſſibilis. e*

Hail

a Cant. 6. b Cant. 2.

c Opusc. 8. d Eccli. 24.

e In Cant. c. 7.



Hailgrimus, Eburneam turrim dicit appellari propter candorem castitatis (cum Elephas valde castum animal sit) & propter firmitatem ac constantiam. item propter pugnam perpetuam, sicut Elephas cum Dracone habet: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, dicebat Deus, a & semen tuum, & semen illius. ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.*

I.

Sicut ergo Turres altitudine sua partim incolas recreant, partim fessos, aut errantes Viatores, quando illis apparent, & in mari aliquando spem portus faciunt: Ita Beatissima Virgo primos fideles miro gaudio affecit, Iosephum, Elisabetham, Zachariam, Simeonem, Annam, qui in hac turri agnouerunt promissiones impletas, & portum salutis affulisse, tot sæculis expectatum.

2.

In Turri semper, etiam quouis æstu, licet aura, & ventulo aliquo frui,

E 3

qui

a Gen. 3.



qui humili loco non ita sentitur. Ita B. Virgo per varias eminentias à Deo exaltata, varijs gratijs, ac priuilegijs à Spiritu Sancto suauiter afflata fuit.

3.

Ex turri longe prospicitur, & recreat varietas, dum montes, vrbes, pagi, syluæ, flumina, prata conspiciuntur, quæ humilioribus in locis habitantes latent. Ita Beatissima Virgo excelsis suis meditationibus vidit quæ nos latent. Plures stellas vident, qui excelsò loco stant: plura cœlestia, & arcana mysteria ipsa vidit, quam vllus hominum.

4.

Qui ex turri in terram despiciunt, ijs omnia ista inferiora, parua videntur; homines sicut pigmei, & glires; Palatia sicut tuguriola: Ita B. Virgini omnia terrena parua, & contemptibilia visa sunt, quia mente eleuata erat hæc gloriosa Domina, excelsa super sydera, suis contemplationibus super nouem Angelorum choros transcendens.

s. Qui



5.

Qui in turri habitat, magna quiete fruitur; non audit sermones hominum, nec alios rumores, quæ alioqui mentem distrahunt, & serias cogitationes impediunt. Ita B. Virgo semper cum Deo occupata, nihil fuit impedita huius Mundi negotijs, & rumoribus. &c.

6.

Altitudo maximè commendat turrim, & admirationem parit. fortitudinem quoque & firmum fundamentum inde conijcere licet. Hæc autem præter admirandum humilitatis fundamentum, innixa super dilectum suum, nulla tentationum vi concuti, aut moueri potuit, nec in morte quidem tam dilecti, & electi filij, celsa animo, fidei lumine illustrata, in solo Deo spem, & fiduciam omnem collocatam habebat.

7.

Turres plerumque ad defensionem patriæ ædificatæ sunt, partim pro specula, vt aduentantes præuideri possint,

E 4

par-



partim pro receptaculo tuto, partim ut inde cum hoste pugnari possit. *a Sic mulier ex turri quadam fragmen molæ deiecit, & Ducem Abimelech occidit.* Ita hæc Virgo nostra Diabolum, & omnes Hæresiarchas, eam infestantes occidit. Inter hos ex præcipuis vnus fuit Nestorius, quem Concilium Ephesinum excommunicauit; Theodosius in exilium misit; linguam eius vermes eroserunt, & Nicephorus scribit tandem à terra absorptum. Taceo Constantinum Copronymum, & alios innumeros. Tu cunctas hæreses sola interemisti, in vniuerso mundo.

*a Iudic. 9.*

PIÆ CONSIDERATIONES.

I.

**I**N omnibus periculis confuge ad hæc turrim, sume arma, & scutum in expugna-



TURRIS DAVIDICA. 93

pugnabile, est enim his armis instructif-  
 sima, quibus non tantum omnia ignita  
 hostis tela, securus, tanquam paruulo-  
 rum sagittas excipere, sed & contra au-  
 dacior eundo, heroice congredi vires  
 eius eneruare, & sternere poteris.  
 Salomon ait: *a Turris fortissima Nomen  
 Domini.* recte quidem, sed & ad Mariæ  
 nomen portæ inferi tremunt: *extricat  
 enim omne genus demoniorum.* *b*

2.

Admirare altissimam hanc turrim,  
 propter celsitudinem omnium gratia-  
 rum, & præminentiarum. Exaltata est  
 enim supra Cedros Libani, & super Cy-  
 pressos Montis Sion; Indaga soliditatem  
 fundamenti, & inuenies profundissi-  
 mam humilitatem, supra quam ingens  
 moles Virtutum ædificata est. Respexit  
 Deus humilitatem Ancillæ suæ, & eo  
 ipso momento, quo se in humilem, &  
 obedientem Ancillam Domini obtulit,

E 5

facta

*a Prou. 18.*

*b Tob. 6.*



facta est Mater Dei, qua Deus non potuisset aliquid maius facere.

3.

Ascende hanc turrem, fruere leniter aspirantibus auris Diuinæ gratiæ. Contemplare qua celsitudine animi Beatissima Virgo hoc Vniuersum supergressa, cœli cardines rimetur, illam altitudinem diuitiarum, Sapientiæ, & scientiæ Dei inquirens, tota cœlestibus arcanis immersa, delitijs affluens, quæ non licet homini loqui, assueta varijs reuelationibus & consortio Angelorum; Vt iam nil terrenum sapiat, quia in cœlis conuersatio eius. Ad fastigium huius Turris hæc Virgo peruenit per tot gradus Virtutum, quas tota vita sua ita exercuit, vt quoties ad virgineum gressum pedes tolleret, toties ad Virtutem gradum faceret.

4.

Et tu animos ad superna tolle, sublimè tuere, ad hoc te Deus & Natura finxit. quid humi serpis, & cum yermibus.

bus.



bus terram rodis ? ad celsiora natus es,  
 mentem erige, turrim tibi exstrue, sed  
 caue Babylonicam, caue superbam  
 Luciferi sedem, Dei æmulam; nam &  
 hanc & illam Deus destruxit. humilio-  
 rem tibi locum ostendo, sed tamen à  
 terra eleuatum. *a Iudith in superioribus*  
*domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in*  
*quo cum puellis suis clausa morabatur, & ha-*  
*bens super lumbos suos cilicium, ieiunabat*  
*omnibus diebus vitæ suæ præter Sabbatha &c.*  
 Sat alte habitat, qui animo à terra remo-  
 tus est. Vbiq; cœlum, vbi Deus est. tu  
 cum Deo age, & terrena non sapient.  
 Superna loca, & à tumultu hominum  
 remota, ad orationem, & colloquia cum  
 Deo habenda, aptiora sunt. Ita Moyses  
 cum Deo egit; ita Elias; Ita Christus  
 Dominus Montes ad orandum elegit; in  
 monte orauit, & Apostolos suos instru-  
 xit, in monte clarificatus est, in monte  
 inter orandum captus, in monte pro  
 Mundo mortuus, in monte cœlos ascēdit.

E 6

5: Inte-

*a Iudith. c. 8.*



5.

Interim tamen locus altus , corpus tantum à terra eleuat, non animum. alijs gradibus anima ad Deum scandit. Audi S. Augustinum. *a Cogitas magnam fabricam construere? de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quisque vult, & disponit superimponere molem edificij, quanto erit maius edificium, tanto altius fodit fundamentum. Artis est alte scandere intellectu, & affectu, & non altum sapere. Altissima mysteria animo voluit Maria, Mater Dei iam ab Angelo pronunciata, Ancillam Domini se profiteretur. Modus ergo ædificandi spirituales turrin, iste est, vt Primo altum fundamentum humilitatis iaciatur, quæ etiam suos gradus habet. Deinde superædificentur Virtutes solidæ, ponantur ascensiones in corde, eatur de Virtute in Virtutem; per superata, & calcata vitia tandem in altum scanditur, ad anteriora sese extendendo, idque constanter, & perseueranter; sic pulchris*

*a Serm. 10. de verb. Dom.*

P  
u  
n  
c  
c  
E  
  
C  
  
til  
m  
or  
gr  
ar  
fo  
fu  
te  
ho  
ar  
fin  
In



pulchris gradibus peruenitur ad fastigium, vt anima inueniat se tandem à terrenis remotam, contemplatione rerum cœlestium suauiter delectari, liberius cum Deo licere colloqui, eiusque amore & gratia frui.

## O R A T I O.

○ Spectanda, & admiranda moles, Turris Dauidica, dulcis Virgo Maria, fundamenta tua in montibus sanctis, ad cœlum vsque educta, moribus Virgineis Eburnea, Virtutum omnium perfectione teres, & rotunda, gratijs & prærogatiuis celsissima, omni armatura fortium instructissima, hosti formidanda, & terribilis, commune refugium peccatorum. Ah admitte me ad te confugientem, quem tot immanes hostes persequuntur. Liceat mihi hinc arma sumere; modo in tua protectione sim, cuiusuis manus pugnet contra me. In hac turri securus ero, pugnabo stre-



nue contra hostes meos. Ad fastigium  
turre scandam, inde omnia mihi immi-  
nentia pericula dispiciam, fruar illic cœ-  
lesti aura, quæ noxium æstum attempe-  
ret, solutus omnibus terrenis curis, &  
desiderijs, totum me cœlestium rerum  
meditationibus impendam, quæ sursum  
sunt sapiam, non quæ super terram; sic  
tu me adiuua cœli Regina, quæ in Cœ-  
lis coronata triumphas in omnem æ-  
ternitatem. Amen.

### DOMVS AVREA.

**I**N sequentibus Litanijs salutatur Bea-  
tissima Virgo DOMVS SAPIENTIÆ,  
vbi ad litteram Academia Salomonis  
insinuatur, Quia tamen hîc Domus  
Aurea vocatur, transferemus ad has  
Litanias illud encomium, & auream  
hanc Domum flexo poplite salutabi-  
mus.

Quo ad litteram & historiam, Sa-  
lomon

2. Prou. 9.